

Phænomenon III.

DISCUS TERRÆ, VISUS È LUNA, SPLENDET.

ANtequam ad hujus phænomeni declaratiōnem accedam, prius in genere quædam de Splendore corporum afferenda sunt, ut qua ratione Terra nostra opaca aliàs & obscura splendere possit, meliùs intelligatur. Sit igitur

CAPUT V.

DE SPLENDORE CORPORUM OPACORUM.

Opticorum est, quod quotidiana comprobata experientia, radiorum lucis eam esse naturam, ut in corporum opacorum superficies, vi quadam sui fontis movente, projecti, cum transire non possint, appulsu facto resiliant in partem superficiei certa ratione oppositam. Non fecus atque pila lusoria parietem feriens, denegato transitu resilit vel directè, vel obliquè, prout incidentia fuerit vel perpendicularis vel inclinata.

Quo fieri solet, ut corpus opacum, licet ex sese omni destituatur luce, si modò aliunde fuerit illustratum, radiis in oppositum repercussis ex ea parte splendeat, ex qua lucem concepit. Ita speculum aut quodcunq̃ corpus lævigatum, licet opacitate sua ne scintillulam quidem, qua in obscuro latens ex se radiare possit, contineat, Soli tamen expositum repercussis radiis splendet, adeò quidem, ut sensorium lædat, ex improvise forsan eò directum. Ita parietes crassissimi simul & obscurissimi, radiis Solis de die, vel accensis facibus de nocte, illustrati, tantam sortiuntur claritatem, ut oppositos alios vicissim illustrare queant. Ad eundem modum lunare corpus, quod ex se totum obscurum esse eclipsium beneficio nemo non intelligit, cum à Sole accenditur, tantam luminis copiam reflectit, ut Terram hanc nostram etiam absente So-